

Mss.
130

R. 134

ARGVMENTVM
TOTIVS OPERIS

Argumentum
totius operis

BIBLIOTECA PUBLICA VALENCIA

R. 512

DIVO ALEXANDRO SEX: PON: MX:
SERVVLI CANTALYCIJ SPECTACVLA
LVCRETIANA

HORRIDA SEQVANICAE GENTIS MODO BELLA CANEBAM
Iamq; mihi fuerat carcere missus equus.

Scilicet ut gallus rex Maximus omnia regum
Vicerit italici regna decora soli.

Vtq; per attonitos populos gentesq; pauentes
Asperso tantum nomine fecit iter.

Quum mihi qui uatum pia pectora delius implet
Ista quid hoc frustra tempore scribis ait.

Borgiacos tantum meditatur roma triumphos
Et tu gallos scribere bella paras.

Edita quod dextris Lucretia borgia fatis
Ad thalamos tandem coniugis ire parat.

Tanta caue macules tristi nunc gaudia uersu
Et caue tam faustos ledere uoce dies.

Inq; tuo numeris melioribus utere plectro
Et nisi borgiaeum nil tibi in ore sonet.
Lætitia exultant simul omnia culmina romæ
Cunctaq; ludorum munera circa sagit.
Instruit & populus spectacula pri[illegible] quiritũ
Lætus ut & felix hic hymeneus erit.
Hæc cane si sapias: non est ad tristia tempus.
Et tua borgiaca pendet ab arce salus.
Ergo uale: & uenias conceda gallia uictrix.
Ad tua quum tempus gesta reuertar erit:

## AD DIVAM LVCRETIAM BORGIAM

MAgna dedit sextus tibi munera borgia Diua
Curia magna dedit Romaq: magna dedit.
Et si non reniuis munuscula parua clientum
Hæc quoq; sume pia borgia Diua manu.
Contterit annorum series quæcunq; sub astris
Cernimus: ingenij munera certa manent:

## AD MVSAM

Dic spectacula dic Thalia ludos
Dic lucretia dina quos honores
Dic quos dic uarios uel illa plausus
Desertura tulit suos quirites
Et charos modo martios penates
Ad consortia coniugis uocata
Cui ferraria delicata seruit
Et quem pronuba iuno magna fouit
Tanta coniuge quae uirum beauit
Quae quum romuleam reliquit urbem
Lux de romulea recessit urbe
Lux omnis ueluti recedit orbe
Quum sol hesperias subiuit undas

## ROMANORVM AMOR IN DIVAM LVCRETIM BOR

Quam dilecta fuit lucretia borgia romae
Quanta fuit pietas & generosus amor
Ceret ut hic aderat modo quae ferraria praesens
Omnia monstrarunt templa: theatra: uiae

Hinc sua patritij reserarunt pectora ciues.
Hinc eques: hinc plebes: hinc puer: inde senex.
Quælibet & totam matrona nuruſq: per urbem
Affectus magni signa dedere sui.
Hæc ut alexandro propius spectare licæret
Claudere cui superos & reserare datur.
Vtq: suæ cæsar frueretur honore sororis
Troianus maior quo neq: cæsar erat.
Ad uaticani diuina palatia montis
Constituere suo digna theatra loco.
Hic uetex quicquid iam spectabatur harena
Vidimus: & quicquid tradere harena potest.
Sed tamen orchestram qualem nunc uidimus: unq:
Tempore non habuit roma uetusta suo.
Nanq: suis Ludis quotiens de more sederet
Illa senatores ceperat: ista deos.

DIVAE LVCRETIAE BORGIAE: ATQVE
ALFONSI ESTENSIS DVCIS: CONIVGIVM

Quam bene sortita est Lucretia Borgia tandem
Coniugij tedas conditione pares.

Non bene simplicibus uolucrum regina columbis
Iungitur: aut timidæ torua leena feræ.
Quid nam nobilius produxit Iberia: quid nã
Borgiacis melius bethyca terra tulit.
Clarius antiquis estensibus itala tellus
Nil habet: aut uera nobilitate prius.
Coniugio tali generosa ualentia gaude
Nam tuus estensi sanguine crescet honos.
Tu quoq; borgiacis ferraria gaude hymeneis
Nam magis hoc fies stemmate mixta potens.
Et iam sexte tibi fas est requiescere pastor.
Cesserunt uotis omnibus astra tuis:-

AD BORGIACOS: NOBILITAS: ET COGNOMEN: ESTENSIS DOMVS

Tu qui borgiaco satu nitescis
Vnde estense genus fluat requiris
Iunxit copula quod tibi Thalassi.
Hoc est italiæ genus uetustum.
Gentis Dardaniæ decora proles.
Quondam antenoreæ comes cohortis.

Tu qui borgiaco satu nitescis
Vnde estense genus fluat requiris
Iunxit copula qd tibi Thalassi
Hoc est Italiæ genus uetustum
Gentis Dardaniæ decora proles
Quondam antenoreæ comes cohortis

Q uæ sedem patauii locauit urbis.
N omen contrahit oppido sed illo
Q uod clari ueneti uocant ateste.
E t nos nunc male nominamus este.
E stensis decor altius unde fluxit.
C uius moribus & nitore capta
E t clara probitate sanctitatis
H anc ferraria delicata gentem
A d se promeritis uocauit ultro.
E t tantæ dominam creauit urbis.
Q uæ tot secula lapsa iam tot annos
T am illic omnia lance rexit æqua,
V t ferraria noscat atq; ducat
E stensissime principis corona
N on se uiuere posse uel per horam.
M aiores taceo: patres: auosq;
E t claros atauos: duces q: magnos.
Q uor nomina: gesta: facta: laudes:
M agnum commemorare pondus esset.
A d sponsi redeo patrem nouelli.

Q uem natum domus herculem uocauit
T anti nominis meritata fama ·
S æuos herculis ut ferox labores
O mni tempore sustinere posset ·
E t splendescere arte militari ·
Q uod non augurium fuisse uanum
G entes italicæ sciunt probantq;
E t testis ueneti furor senatus
I llius toties repressus arte ·
N ec non parthenope : sacriq; manes
A lphonsi ueteris piiq; regis ·
S ed martis proprias tacebo laudes ·
N il hoc sanctius esse uetiusq:
N il hoc gratius esse fidiusq:
N ostro tempore uel potest uideri ·
E st quammaximus hic quoq: architectus ·
Q uod ferraria tam nobilitata monstrat
E t tam conspicuus recincta muris ·
H uic par denique nemo comperitur
Q uauis nec melior refertus arte ·

C ui quondam hehonora regis illa
N upsit filia magna ferdinandi ·
Q ua non uel sypilea mater olim
N on fecundior illa que maritum
H ercei iouis ante luxit aras ·
N atoz grege quippe perbeata
A lfonsum dedit atq: ferdinandum ·
S ysmundum : hippolytum atq: cardinalem
I nter qui rutilos nitet galeros
Q uantum lucifer inter astra fulget ·
Q uoz maximus & decore primus
A lfonsus fuit atq: primus annis ·
C ui Lucretia Borgiana iuncta est ·
T ota que ueluti fauente nupsit
T ota sic abijt dolente roma ·
B inas edidit illa sed puellas ·
Q uaz iungitur una mantuano
G onzage domino : nitore tanto
V t non inueniat parem : sed ipsa
I psam se superat : grauis : modesta :

P rudens: perfacilis: decens: uenusta:
I llustris: pia: iusta: cauta: sollers.
E t cunctis Lisabella liberalis.
M agnis altera copulata regnis
I nsubris ducis ac benigna conuix
V ero nomine dicta iam beatrix.
V xor quae poterat uirum beare
N i lucina suuans manus negasset.
E t stamen nisi clotho substulisset.
E stensis breuibus genus uetustum
G entis diximus atq: gesta uerbis.
C ui si quid tamen absit ad decorem
I d lucretia Borgiana portat:

## ADESTENSES NOBILITAS BORGIA

N on est Borgiacos necesse dicam.
H oc nouit genus orbis uniuersus.
N orunt occidui marisq: rubri
N orunt hoc zephyri notiq: gentes.
N orunt hoc boreae gelu niuesq:.

N orunt Nilia a : sciuntq: persæ·
N orunt hoc solimi syriq: reges·
N orunt pannonij feroxq: rhenus·
N orunt hoc rhodani fluenta galli·
Q ui quo lucadior potentiorq:
L apsu curreret & niteret amplo
I unxit borgiacos sibi liquores·
H os nobis genuit decora sumens
V rbs de Magnifico ualore nomen·
V rbs hispanica: chara: grata nobis
V rbs & romuleis amata semper·
H æc & magnanimos uiros ducesq:
H æc & pontifices tulit beatos·
H æc & Cardineas tulit tiaras·
H æc papam tulit & benigna sextum·
V nus qui reserat seratq: cœlum·
Q uo nec roma potens potentiorem
N ec uidit fateor decentiorem·
N ec uidit fateor seueriorem
N ec uidit fateorq: iustiorem·

Summa qui sedet unus arce petri
Et nutu latus unus omne mundi
Vertit: conuertit: asserit: coercet:
Punit: liberat: alliat: fouetq:
Leges regibus omnibus retractans
Et iungit sibi pace principatus
Pellens omnia pace bella parta
Et cum paciscis suisq: christis
In turcas meditatur ire seuos
Addas romuleos lares uiasq:
Addas edibus additum decorem
Addas instaurata uaticani
Et magno renouata tecta sumptu
Addas hadriane superba molis
Molis moenia quae manu cyclopum
Vel quae palladis arte structa dicas
Sunt haec sed monumenta sexti magna
Quid de caesare musa borgiano
Hic nunc quid poterit referre nostra

In uasto tenuis carma ponto
Longe fluctuat & periclitatur.
Maior cæsare maior ille maior:
Maior scipiadis: achille maior:
Torquatis quoq: maior & metellis:
Marcellis quoq: maior & camillis.
Thebanis quoq: maior & pelasgis.
Sed nos cæsaris acta borgiani
Iam cantauimus altiore plectro.
Nobis hæc eadem tulit propago
Præsentem dominum piumq: nostrum
Quem nunc Maxima roma cardinalem
Sexti pontificis colit nepotem.
Lumen borgiacæ decusq: gentis
Et rubri iubar uniam senatus.
Qui cum me duce concupisset artes
Artes pierias sophosq: phoebi
Id quod non alij decem per annos
Per lunas studio decem peregit.
Et iam sedulus ille diligensq:

Inter purpureos loquens galeros
Marci perspicuas olet lucernas.
Iunctis gentibus his duabus ergo
Quid nam nobilius nitentiusq:
Et maius ualet esse quid per orbem.
Semper sexte satis pater sapisti.
Me sed iudice nunc magis sapisti.

## PRO DIVA LVCRETIA BORGIA ADVENTVS FERRARIENSIVM.

Viderat haud talem quondam vetulonia pompam
Nil nisi quum plausus tuscia tota fuit.
Nupserat Iasio quum iam berecyntia mater
Electre & coriti magna futura nurus.
Qui tunc italiae latissima regna tenebant
Nunc ubi viterbi moenia clara sedent.
Iuppiter ignoscas: tua nec tunc gloria talis
Et soror & coniux quum tibi nupsit erat.
Quum superii cunctae tibi conuenere cohortes
Et tua complerunt atria mille chori.
Produxit romam ueniens ferraria qualem

Venit ab estensi quæ duce missa suo.
Iret ut ad Thalamos iam borgia Diua iugales
Tectaq: magnifici coniugis alta sui.
Prima fuit ueniens iuuenum delecta caterua
Non ornata minus q̃: speciosa manus.
Principis estensis quales decet esse ministros
Nullius aut quales principis aula uidet.
Lucebant in equis cuncti uelut ære sereno
Splendida sidereis ignibus astra micant.
Inde sequebatur paulo maturior ætas
Sed non inferior ueste nec ore minor.
Quos inter rex norunt qui ducere causas
Et qui Pieridum castra sequuntur erant.
Necnon qui coeli motus & sidera tractant
Et qui a secreto munere nomen habent.
Maxima uirtutum cuncti simulacra ferentes
Insita sed uirtus pectore maior erat.
Pone senes ibant grata probitate modesti
Vultibus insignes & grauitate patres.

Ille sed immenso donatus munere plausu
Borgia clamando borgia uictor abit
Hæc inuicta tibi cæsar tua castra notauit
Atq: animosa tuæ gesta palestra manus.

## CASTELLI GLADIATVRA:

Inde datura fuit ueteris quoq: roma lanistæ
Munera: & accinctus iam gladiator erat.
Pugna sed ut multo martis speciosior eet
Stringeret & gladios nobiliore manu
Borgia constituit ferri certamina cæsar
Mulcerent animos quæ nouitate magis
Non mirmillonis stupuit spectator in armis
Nulla fuit triplici fuscina dente minax
Arce sed extructa castelli in parte theatri
Vidimus hic martis prælia magna noui.
Postaq: uictori sunt pro mercede ducenta
Munera uictoris digna labore sui.
Lex fuit ut positam pars altera sumeret arcem
Et caperet clausi septa tuenda loci.

A lcra si posset molem expugnare duello
Quæ stabant palmæ præmia ferret ouans
D electi iuuenes ex cæsaris agmine: qui sic
Conseruere manus bis duo bisq: decem·
O cto tuebantur: pugnans sed cætera contra
Ter fuit indomito marte repulsa manus·
E t ne forte putes pugnæ simulacra fuisse
Sæpius illata sub nece uita fuit·
N on hæc crede mihi sunt edita prælia frustra
Securas arces cæsaris ista notant·

## TAVRORVM VENATIO HISPANICA

IAm licet ut sileat uenatio prisca feraq;
Fortis & antiqui dextera carpophori·
M artia quum stratos spectauit harena leones
Et petulans tuscum læuia fixit aprum·
Q uum pardi cecidere leues turpesq: bisontes
Præstitit atq: ferox præla rhinoceros·
N am tua sexte suas peragens hispania partes
Culta per attritas noluit ire uias·

Sed quod nulla unq: prisca prodidit ætas
Inclyta de tauris munus equestre dedit.
Quos excelsa suis ludis de more quotannis
Exhibet ex torno de grege roma legit.
Hi non consueta ceciderunt morte ferocis
Sed periere necis nobiliore modo.
Nam postq: emissi fusiq: fuere uicissim
Et concessa feris mors mala bobus erat
Prodijt in medium depugnatura theatrum
Et telis & equis splendida libera cohors.
Undiq: tota micans ardenti murice & auro
Gemmatis uittis & redimita caput.
Sertenua gestantes patrio uenabula ritu
Cominus exhibitos apta ferire boues.
Sic igitur missos incunt agitare iuuencos
Bubulaq: assidua terga cauare manu.
Ardua qui primus ruit in certamina taurus
Excussit circi cornibus omne latus
Quem dum nobilitas insertaretur libera
Sæuiretq: ferox taurus in omne caput.

S pargeret & passim pedibus furibundus harenam
Innueretq: sua fronte minante necem
T alia non potuit spectando borgia cæsar
Virtutes animi dissimulare sui
F eruidus orchestra sed enim descendit ab alta
Spectabat ludos maximus unde chorus.
E t celer ingressus faciem uelatus harenam
Traiecit tauri protinus omne latus.
S territur atq: uno tantum porrectus ab ictu
Qui timor ex omni parte iuuencus erat.
I nde abit: id facinus toto plaudente theatro
Magnanimo insignis conspiciendus equo.
P rosequitur cædes taurorum hispana caterua
Et patria sternit cuspide forte pecus
I amq: boum ferro restabat portio parua
Destitit á pugna quum calefactus equus.
N am peditum pariter subit altera turma theatrum
In tauros laudis non habitura minus.
H æc quoq: culta fuit præcinctaq: uestibus ijsdem
Idem animus cunctis & generosa manus.

Expandit quales uolucris iunonia pennas
Talis erat iuuenum uestibus ille decor ·
Idem erat & gladius: nec nõ uenabula: & arteq ·
Dexteraq: hispano docta ferire modo ·
Quos inter rursus prodiuit borgia cæsar
Velatus faciem: cognitus ille tamen ·
Nam male thessaliæ sicut se abscondit olympus
Tam male borgiaci cæsaris arma latent ·
Nanq: cateruatim iunctis mucronibus hastæ
Dum ruit in tauros sic animosa cohors ·
Dumq: boues missi iuuenum per aperta theatri
Non expectato terga dedere globo ·
Ingruit ex illis contra furibundior unus
Aggrediturq: omnes: dissipat: urget: adit ·
Gestit & obstantem iactare sub astra cateruam
Sed tandem fallax impetus ille fuit ·
Nanq: sua cæsar nudata prosilit harpe
Inuaditq: suo marte iuuante ferum ·
Succisaq: trucem strauit ceruice iuuenci
Inde pedestre ferox cum grege uictor abit ·

C æterà tauroy pars nobilitate peremptà est
Nec male borgiaci deperiere boues.
Quis non tauroy pugnas intelligat istas.
Hoc pro te factum borgia cæsar erat.
Quicquid amyclei fuerant ad prælia fratres
Quod duo tu solus borgia cæsar agis.

## ROMANI POPULI RECENSUS.

VT quondam ultimus ille rex bonoy
Regum seruius ille liberalis
Censum constituens in urbe primus
Vrbem constituit uidere totam
Et cognoscere proundus quirites.
Tunc quum classibus alma roma quinq: est
Et tot centurys recisa felix.
Totam tu quoq: sexte sic recenses
Quo posses populum uidere: romam.
Vt ferraria foret ac referret
Quam te troiugenæ colant quirites.
Ergo borgiacis nouisq: ludis

L ætę conuenunt tibi cohortes·
C lasses: centuriæ: tribus: mãnipli:
E t coetus legionis atq: turmæ·
T elox genus omne congerentes·
T hoaces: ocreas: spathas: cattras:
L oricas: clypeos: breuesq: peltas·
R omphedas: galeas: leuesq: fundas·
A rcus: fortia sauta: pila: sicas·
N ec non spicula sæua scorpionum·
O qua lætitia tibi micantes
C ordis tunc sahere sexte fibræ·
Q uum per borgiacum suis theatrum
S pectas ordinibus tuos quirites·
Q uales in duplices iere penos
Q uales in syrias iere gentes·
Q uales in senonas: trucesq: cimbros
Q uales in pharios iere reges·
Q uales in rigidos iere uebios:
E t quotquot uoluere iam subactos·
V t scires bene sexte quot teneres

Gentis milia maximus togatæ
Et q̃: sint bene sexte præparata
Tecum cardineis tuis tueri ·
Cum sic in faciem suosq: uultus
Per te iam fuerit reuersa roma
Ludos rettulit illa si priores
Et longe meliora multa fecit
Non mirum tibi sexte quod secunda est ·

## PEGMATA SIVE CVRRVS IN THEATRVM PRODVCTI

Dic iam pegmata musa dic triumphos
Quos his rettulit alma roma ludis
Vt se quæ fuit esse nunc notaret
Tanto sub duce perbeata tauro ·
Nec non egregios habere uates
Nunc in gymnasys suis doceret
Aetas quos coluit uetusta quales ·
Hæc qui pegmata tanta cogitarunt ·
Maiora quibus acta sub figura
Virtutes docuere borgianas :-

## POETAE LAVS QVI PEGMATA EXCOGITAVIT.

QVicunq: ille fuit struxit qui pegmata uates
Vidimus in ludis quae modo borgiacis
Numine deliaco gestat praecordia plena
Delphiricoq: lyram temperat in tripode.
Non fuit hic geticus: fuit hic nec pectore bardus
Diuini sed habet pectoris ingenium.
Seu sit romanus: seu sit romanus alumnus
Huic bene coelicolae dij faciant superi.
Qui uolunt ficta ueteri sub imagine laudes
Tempocis antiqui dicere borgiacas.
Nescio qui fuerit tot sunt tibi roma poetae
Qui pelago uelis limea dant paribus.
Quisquis es ipse tuis meritis pro talibus opto
Fata tibi regis secula dent pylij :—

## HERCVLIS IMAGO CVM HYDRA.

Tot tibi borgiacum produxit roma theatrum
Pegmata: quot partes computat illa sui.

H erculis inuicti sub imagine indimus acta
Nec secus ac si tunc res agereturerat.
S trenuus ut lernae secundam substulit hydra
Aut ut auentinae uicerit antra ferae
P urgaruq: omnem regionem prouidus heros
Hic ubi tuta dehinc condita roma fuit.
V erum aliud tali uoluit sub imagine uates
Veraq: sub fictis significare notis
N anq: per aladen datus est tibi borgia caesar
Inuictum cuius circuit hydra caput
Q ui uelut alades diram superauerat hydra
Monstraq: terribiles multiplicesq; feras
E xpulit italico foedos ex orbe tyrannos
Qui passim hydrei uertices instar erant.
A dde quod ista tibi magnae simulacra figurae
Estensem possunt significare ducem.
B orgia cui fausta cessit lucretia sorte
Quam mundus uoluit totus habere sua.
S icut & Aladae quondam pro coniuge cessit
Deuicto alijs deianira proeas.

Multum romani debent: & Sextus: & omnes
Borgiaci: Iuuentis dare poeta tuis.

REX CVM BOBVS ARANTIBVS
ET CVM VVLTVRIBVS.

Vertere mox regem pendenti uulture aratru
Vidimus: & geminos sollicitare boues.
Hunc per quem uoluit tibi significare poeta
Sinestis: urbis conditor ille fuit.
Belliger maurio quam designauit aratro
Addidit & nomen uulturis augurio.
Non temere hoc factum: fuit hec nõ actio uana.
Maxima sunt quae te rustica signa docent.
Roma per hos ueluti fuit ædificata suuetius
Sic per borgiacos est renouata boues.

EFFIGIES DVORVM EQVORVM
CVM TOTIDEM RECTORIBVS.

Sic etiam geminos licuit spectare feroces
Docta quibus frenum leua tenebat equos.
Non minus hec uatis fuit ingeniosa figura.
Altius hec animo si bene cuncta notes

Hæc bellum pacemq: docent: quæ borgia cæsar
Et dare romanis & prohibere potest:-

TRIVM ROMANORVM IMPE
RATORVM INSIGNIA TRIVMPHALIA

INde triumphalem quem spectauistis equestrem
Hic iam cui pugnax aphrica cessit: erat·
Quæq: sequebatur currum carthago notata est
Euertit cuius funditus ille solum·
Post asiæ domitor magna grauitate subibat
Si non sum fallax: ille lucullus erat·
Pone sequebatur spoliis quem currus opimis
Ex asia ad patrios quæ tulit ille deos·
Tertius insedit niuei qui dorsa caballi
Ille tridentiferi quem prope currus erat
Iulius hac fuerat monstratus imagine cæsar
Nosimus europæ quem posuisse iugum·
Romuleumq: ausum martem cõmittẽ ponto
Frenáq: non notis gentibus ante dare·
Ista tribus romam dominatam partibus orbis
náq: romulidum quanta fuere notant·

Verum aliud uoluit docti sibi fictio uatis
Borgiaci sunt hæc nam noua gesta ducis.
Subdidit italiæ sibi qui tria regna subactæ
Inq: triumphali uertice signa tenet.
Nulla figura nitet magnæ sub imagine formæ
Nullaq: pictura facta notata uides
In quibus haud possis iam te cognoscere cæsar
Atq: alijs quanto borgia maior eas:

## SIMVLACRVM IOVIS ET IVNONIS:

INsuper e curru spectatum mus ora tonantis
Cum quo uecta fuit pronuba magna soror.
Quod notat exactis tandem quod roma triumphis
Hostibus & uictis relligiosa fuit.
Ast ego: quod fas est: alia ratione putarim
Altius has uatem composuisse rotas
Scilicet hoc celebri quæ gesta fuere theatro
Cum iunone sua cuncta probasse iouem
Et quod concordi lucretia borgia cœlo
Nupsit: & unanimi non sine uoce deum.

## TRES PVELLAE NVDAE

Tres quoque uidisti sine uestibus tre puellas
Dic rogo quid nudae tres uoluere deae
Nunquid ad arbitrium quae conuenere fuerunt
Pastoris quondam: Juno: minerua: uenus
An quae trinodios mergebant carmine nautas
An fuit hoc aliquod religionis opus
Credidierim tamen ipse magis: nisi fallit apollo:
Autorem: charites significasse deas
Nymphas comites uenerisq: decentis amicas
Perpetuo nexas quas pia zona tenet
Quam sibi non aliter iunxit lucretia roma
Donec borgiaci nominis aura sonet
Nam te roma dolens quamuis lucretia linquat
Non sine te poterit uiuere alumna tamen

## EQVESTRE SIMVLACRVM CVM PVERO ET PVELLA CAPTIVIS

Compositum mira spectauimus arte caballum
Magnanimus cuius terga premebat eques

Ante ferebatur currum captiua puella
Et puer astrictus uincula sorte pari.
Hanc certe effigiem nemo est qui nesciat altã
Borgia dux in qua significanter erat.
Summite ab his cuncti populi documenta duobus
Non est cæsareis uiribus esse parem :-

## PVELLA A TAVRO VECTA :-

Dicite spectantes quænam fuit illa puella
Insedit tergo quæ simulata bouis.
Nempe nec oedipo fuerat nec agenore nata.
Diua sed haud dubie borgias illa fuit.
Quæ per borgiadum meruit faustissima taurũ
Fortis ad imperij culmina celsa uehi.
Hoc uoluit rex tibi demonstrare peritus
Ingenij uates nobilitate sui

## DE TAVRO IGNIVOMO DRACONE FVGIENTE :-

Ignivomi taurus quod fugerit ora draconis
Desine mirari : non pauor ille fuit.

Inter pascatur cum prata uirentia flammas
Par fuit hunc flammis non nocuisse suis :-

## NOVAE COMOEDIAE IVVENVM ROMANORVM :-

Hunc etiam celebrant uates hymenea latini
Inuentisq: nouis contribuere uices .
Quoq: ut tu melius spectare poemata posses
Ante tuos gesta est res bene sexte pedes
Et quia contrita est ludis lux quaeq: diurnis .
Prodita nocturno lumine scaena fuit :-

## COMOEDIA CASALIS :-

Vsit Comica quae meus casalis
Haec sunt nec uetera minora sociis .
Induxit uenerem poeta diuam
Caeco de puero suo querentem
Quod Lucretia diua borgiana
Caelebs per uirides sederet annos .
Omnes cum superaret ore nymphas
Graias : italidas : deas marinas .

Cur nam qui genus ales omne uinat
Inuictam sinat hanc manere solam.
Respondebat item sue parenti
Qui cunctos domat & cupido uinat.
Quid mater cytherea me lacessis.
Dignum borgiaca nec muenimus
Dignum querimus attamen maritum.
Frustra non soleo meam pharetram:
Exercere meos leues nec arcus.
Non contenta uenus: uocabat illum
Quocum tardipedis uices ministrat.
Et quondam iacuit reuincta ferro.
Qui cum cerneret utriusq: causam
Votis prebuit utriusq: pacem.
Et ferraria cui decora paret
Diuam sanxerat esse copulandam.
Lusit comica que meus casalis
Hec sunt nec uetera minora socis:-



# COMOEDIA CAMILLI PORTII RO·

Hinc & portia quem domus creauit
Maiores referens suos Camillus
Intactum iuuenis poema fecit
Cui sextus tribuit libenter aures
Reclusitq: pater benignus aulas
Nam comoedia grata continebat
Et quae borgiadis meis placebant
Hinc ferraria & hinc beata roma
Inter se uarias mouere lites
Vidisses: placidis tamen querelis·
Diuam perdere roma perdolebat
Quam ferraria borgiam trahebat·
Quam tot dulcibus educasset annis
Intra moenia parvulam quirini·
Sed ferraria deducta partes
Argumenta parans suas tuendo
Illam iure suo loquens petebat·
Tunc cylleniis arce missus



BIBLIOTECA PUBLICA VALENCIA